articularem morbum propixandā operam mox daturus est, in hisce autem regionibus, paucis septimanis dum commoratur, amplectendi tantos viros, quos de famâ scriptisque abundè novit, summo desiderio flagrat, ut benigne ad colloquium admittant, ac de re Medicâ, Physicâ, Chymicâve candidè, qui ipsius est mos, solideque disserentem audiant, rogat

Dat: in Castris Bodbergis
VII. Id: Jul: CIↃIↃCXLIII

Omnibus singulisque
ut norunt, addictissimus
Constantinus Hugenius (328)

Barlaeo.

Attendo, rogo, mi Barlaee, ad ea quae dicturus sum candidè, si unquam, et παῤῥησιαστικῶς. Apertè quidem ~~et~~ tu, et nulla circuitione sententiam dixisti de Cartesii Metaphysicâ, et mihi sic abundè satisfactum est, non autem tibi. Non est quod suspiceris palam fore, quod inter nos perire voluisti. Non habeo in delitiis committere ingenia, nisi consentiente utroque; ut ex bonorum silicum attritu scintillae emicent illustrandae veritati. Ergo caetera omnia reticentem, quod bonâ fide faciam, hoc velim unicum a te nuntiari patiaris homini Philosophorum omnium quos novi, maximè tractabili et πρᾳεῖ, sic nimirum te sentire, nova loqui cum vult (ita loqueris) loqui trita, vetera principia dum ejurat et nova parturit, in eadem relabi. iisdem argumentis probare Deum esse, et animam immortalem, quibus usi sunt et alii. Ipse verò videris: nisi enim te jubente vel permittente, nihil eliminabo. neque est hoc illud, quo te ut attenderes, rogavi. Sequitur. Narro tibi, amice et comperies aliquando, nihil illo viro candidius esse, nihil illo candore fallacius. solet enunciare potissima quaque assertionum suarum argumenta tam planis simplicibusque verbis, ut multoties lectorem docuerit quae hic se discere non observaverit. Unde neminem de Cartesio et Cartesij lectoribus melius meruisse olim judicavi, quam qui opusculis Physicis, quae his praemisit, indicem locupletem ἠκρίβωσε. Me quidem fateor monuisse plurimarum rerum, quae sub tam facili et aperto sermone latentes, planè attentionem meam fugerant, aut non affecerant. Possit de tali scriptore dici, laboro clarus esse, obscurus fio.

crede

Crede mihi tamen, simplici illo et inornato gressu
προαιρεῖν ἔμοιγε μάλα συνεχῶς καὶ ἀσφαλῶς καὶ
ἀπλανῶς. Mathematicum ingenium est et plane
Lynceum. Pervidet paralogismorum omnes latebras ἐν
ὀπτῇ ὀφθαλμοῖς; nec acquiescit nisi demonstrationi-
bus, quae cum veritate et ipso Sole, de luce contendant:
quarum tam indissolubilis ab imis ad sequentia conca-
tenatio est, ut si, verbi gratia, corruat τὸ existo quia
cogito, nec verum esse possit tres angulos trianguli
pares esse duobus rectis. Concludo, vir praestantissime,
non fugisse, sed potuisse fugere primos intuitus nonnulla,
quae si attentius repetas, aliter te de caeteris ac de toto
Cartesio sentire adigant, quam hactenus sentire videri
vis. Certe, quid esse causa possit, cur conferre cum
tanto viro, qui tantus es, detrectare debeas, non satis
assequor. Fallor enim aut ὁμόδοξοι utique, non
infesti invicem Philosophi discederetis. Et veritatis
denique interest, et posterorum, de quibus ego plus
quam de me sollicitus sum, quatuor studiosorum
Patres, ut vel Barlaeo cum Cartesio conveniat, vel cur
dissideant, publice innotescat. Haec sunt de quibus
serio te conventum volui. Ad amoeniora. Divas
meas in eminentissimum volupe est, eodem animo
a te acceptas fuisse, quo effusae sunt. vere judicasti
placuisse experiri quid in purpuram donatrice, ut
venuste tu quidem vocas, quid de seductoribus ministris
olor ille potuisset canere, sepulchro vel ad Caystri vada,
vel in scena. Hactenus Eminentiae illi non sum infensior
quam ullus Poeta Batavus, quem in aureos incautum laque-
os induerit ἡ ἀλώπηξ αὐλῆς. Cum Tessela quam fragis
oppugnatum is fragrantissimis, facilis tibi lucta, et par
congressus est, absente rivali. si adsim, ab imbecillitate
partium stare satagam. sto vero καὶ ἀφεστηκὼς μακρόθεν
ut videbis, Epigrammate, quod his adjiciam. Accedunt alia
item duo te spectantia, de ducentis, vel (pudet dicere) trecen-
tis forte, varij argumenti et sermonis. Latini tamen
maxime et vernaculi, quae his ipsis chaotis effudi, longe
quidem potiora pleraque, ut autori videntur, quam quae
hactenus a me profecta sunt, certe quae auditorii, cui desti-
nata sunt, ilia concutiant vehementius, ne ἀσύμβολος
nimirum fidem Hoofdio datam caeteraque Synodo libe-
ratum eam. quod equidem denuo me praestiturum spondeo,
nisi quae vis major, et causa sontica emergat, qua ipsi cre-
ditores talem agnoscatis. Vale φίλτατον κάρα, benigne
seria mea et jocos consule. Bodbergae in Castris. Cal. Sept.
CIↃIↃCXLII.

Puteano.